

titutus, tota cura in equum mortuum transferatur, nulla aut exigua sollicitudine de equite liberando concepta. Itaque prudenter corporis curam veluit ut meminissent amici tanto majorem curam in anime sue solatium, et liberationem adhibendam esse, quem proinde in finem, et ipse non modicum summam assignavit pro Sacris post mortem ipsius statim offerendis.

Pars tertia.

Non majorem vero sapientiam, et pietatem in bonis suis temporalibus distribuendis adhibebat, ubi ante omnia ob oculos pulcherrimum S. Joachimi et Annæ exemplum habuit, qui divitias suas in tres partes dividerunt, et primam quidem Deo obtulerunt, et in templo ministris dedicarunt; alteram sibi pro casibus necessariis reservarunt, tertiam denique pauperibus distribuerunt. Hoc, inquam, exemplum Nicolaus noster insigniter imitatus est, nam quantam partem Deo in variis Ecclesiis reliquerit testantur ipsæ Ecclesie, quæ portionem sibi legatam accipient: quam diligenter pauperum memor fuerit, testantur xenodochia et hospitalia, et Religiosorum monasteria, quorum nullum sine liberali legato vacuum abire permisit: magis vero suo accusu et lacrymis testantur ipsimet pauperes, dum post rem divinam finitam largam singuli stipem accipient. Elsi vero tertiam partem, eamque bene anoplam familie suæ sustentandæ, et conservandæ assignavit, in eo tamen singularis prudentiæ laudem est promeritus, quod se ipsum etiam adhuc inter familiam computarit, et recordatus, quod charitas a se ipso incipiat, et sibi quisque sit proximus, non levem summam in Sacrificia post mortem pro anima sua legenda expendi voluerit; ob quam quidem sollicitudinem tanto magis suscipienda atque deprecanda est charitas ordinata erga seipsum, quanto pauciores in Orbe imitatores reperit. Quotus quisque enim est, qui non totus in bona quam plurima familie relinquenda intentus, nil minus cogitat, quam de portione congrua sibi ipsi assignanda? Hi profecto sæpe perpendere debent saluberrimum responsum, quod aliquando filius quidam parenti dedisse scribitur. Cum enim hujus pater in extremis constitutus filios convocasset, et quid quisque contestandi cui amoris causa post

mortem parentis facere vellet, interrogasset, varique varia responderent, ipse ut natu minimus nil se futurum dixit, causamque rogatus a parente, sapienter in hunc modum respondit: « Si tu, o Pater, qui plenum nunc opum tuarum dominium possides, et te haud dubie magis, quam nos amas, tamen pro anima tua sollicitus non es, quomodo sperare poteris, nos, qui partem tantum bonorum tuorum singuli capiemus, memores tui futuros, et amore proprio excecatos non pctius in nostram, quam tuam utilitatem dicta bona applicaturos. » Notate hoc pulcherrimum responsum, parentes, qui hactenus pro liberis magis, quam pro vobis solliciti fuistis. Notate hoc, inquam, et vel a nostro Nicolao discite, quousque ordinatus suorum amor se extendat, quamque verum sit, quod Salomon Eccl. c. v. dixit: « Hoc itaque visum est mihi, ut comedat quis et bibat, et fruatur letitia ex labore suo, quod laboravit ipse sub sole numero dierum vite suæ, quos dedit ipsi Deus, et hæc est pars illius, et omni homini, cui Deus dedit divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, et fruatur parte sua, et letetur de labore suo: hoc est donum Dei.

Pars quarta.

Sed quid, nobis atque non nemo, reliquit Nicolaus? Respondeo, optimam partem bonorum suorum vobis ab eo reservatam, nempe virtutes suas, has enim solas pro veris divitiis agnoscebat, has solas sciebat, non a furibus auferri, nec a tineis, aut ærugine consumi posse; has solas secum in alterum orbem exportari posse sciebat. Ad has ergo congregandas sicut omne per vitam suam studium impendit, ita nunc in morte luhens distribuit, et Deo quidem de iis gloriam et honorem, sibi meritum, defunctis satisfactionem, vobis vero imitationem transcribit. Vos ergo iis S. Pauli I. Cor. n. verbis alloquitur dicens: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Nostis, quam ego accuratus in rebus ad divinum cultum pertinentibus fuerim, Christumque in templo per triduum commorantem imitatus sim: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Nostis, quanto pere charitatem fraternam semper aestimaverim, quantoque studio omne id, quod eam ulla ratione violare poterat, devitarim, quia hoc mandatum, hanc doctrinam Christi

esse noveram: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Nostis, quam modeste semper de me senserim, quantaque fortitudine atque constantia injurias illatas non modo suportarim, sed etiam ad imitationem Christi condonarim: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Nostis denique quanto pere ego semper in omnibus tam adversis quam prosperis voluntatem meam cum divina conformare studuerim, humilians me ipsum cum Christo, et factus obediens usque ad mortem crucis: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi,* quia sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

Epilogus.

Audistis ergo, quam pulchrum, et vobis utile testamentum Nicolaus noster confecerit. Superest ut agnoscat hoc beneficium, Deumque impense rogetis, ut illud ei in altera vita abunde compensare, et si quidem æternam requiem nondum obtinuerit, ad eandem ipsum admittere dignetur. De reliquo dato operam, ut, quod unice Testator expectat, illius partis, quæ vobis relicta est, executionem strenue urgeatis, adeoque illis Sirecidis Eccl. c. n. verbis vos alloquentem imaginemini. « Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce. » Sic dicetis cum Davide PSAL. cxviii. « Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum. » Et Ps. xv. « Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. » Quousque cum ipso hæreditatem etiam cœlestis Regni obtineatis, et in eodem in æternum lætemini. Amen.

Alii conceptus.

I. Ex occasione thematis: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* JOH. XIX. ostendi potest, quam merito anime in Purgatorio vocentur a fidelibus pauperes vel misere, *die Arme, oder armselige Seelen.* Quia videlicet 1º gravissimis miseris et penis sunt subjectæ, quarum minima, teste D. Thoma et aliis Doctoribus, gravior est, quam omnes dolores et tormenta hujus mundi collective sumpta. Unde merito Augustus quidam Monachus, teste D. Dionysio

Carthusiano, conspectis Purgatorii penis dicebat: « Deus mihi sit testis, quoniam, si hominem, qui me, . . . mesoque gravissime læsisset, vel omnino occidisset, in his penis jacentem viderem, liberet mille vitas pro illius redemptionem impenderem, usque adeo omnem modum et limitem excedit poenarum illarum acerbitas. » Id quod alias quoque propria experientia testatus est, qui, cum gravitatem morbi sui impatenter ferens, a Deo per Angelum optionem impetrasset, sive per tres horas supplicia Purgatorii, sive per tres annos adhuc morbi sui cruciatu sustinendi, ubi priorem partem elegit, et vix unahora Purgatorii penas sustinuit, mox gratiam redeundi ad vitam petiit, et trecentis annis morbi dolores facilius et libentius toleraturum se asseveravit, quam unahora Purgatorii cruciatu. 2º Quia seipsas jurare non possunt atque adeo similes sunt Paralytico juxta piscinam probaticam jacenti. JOAN. V. qui hominem non habebat juvantem, ut predicto piscinæ auxilio a sua infirmitate curaretur; vere enim anime tales sunt in loco, in quo quidem satisfaciendo penas suas extinguere, non vero satisfacere propriis meritis possunt. 3º Quia carent lumine cœli, id est, lumine gloriæ et visione beatifica, atque adeo jure dicere possunt cum Tobia c. iv. *Quale quidam mihi erit, qui lumen cœli non video.* Unde merito etiam ex hoc titulo misere seu *arme Seelen* vocari possunt, cum juxta commune proverbium sit: *Ein blinder Mann, ein armer Mann.* Et hæc miseria tanto sit gravior quanto gravior afflictio ex privatione visionis beatificæ oritur, uti ex communi Doctorum sensu, ipsiusque visionis prospectu probari potest.

II. Ex occasione thematis: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* LUC. XVI. potest ostendi, quomodo charitas erga defunctos perfectissime demonstrari queat, scilicet implendo quatuor conditiones, quas Christus cit. loco ad mensuram perfectam requisivit dicens: « Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. » Quarum prima impletur, si aliquoties per diem, vel hebdomadem pro iisdem orationes, sacrificia, vel alia pietatis opera offerantur, uti multi Christiani faciunt. Secunda, scilicet *conferta* mensura datur, si omnis fructus impetratorius aut satisfactorius, ad quem aliis applicandum non obligamur, per totam vitam obventurus iisdem transcribatur (quod qua ratione fieri

possit, paulo clarius explicandum est) uti S. Gertrudis fecisse scribitur; et etiamnum hodie non pauci animarum purgantium singulares Patroni facere consueverunt. Tertia, videlicet *coagitata*, porrigitur, si etiam ea, quae post mortem obvenient sacrificia, et alia pia opera, iisdem animabus transcribantur, uti P. Ferdinandus de Monarii (alii Hermandum Monsoy vocant, nisi forte diversus sit) e Societate Jesu fecisse scribitur in Sylabo Prov. Pernane 21. Sept. 1626. qui omnes Missas et Rosaria post mortem pro se offerenda animabus purgantibus donavit, et hanc suam voluntatem scripto consignavit. Quarta, nempe *supereffluens*, datur, si etiam alii ad similem charitatem verbo vel exemplo incitentur, uti multi Patroni insignes animarum facere consueverunt, qui ubi possunt, aliis teneram erga defunctos charitatem instillare conantur; et merito, nam et ipsis animae eadem mensura suum Patrocinium et beneficia mensurabunt, et primo quidem mensuram *bonam* dabunt, dum a variis malis, et hostibus poterent defendent, uti Eusebius Siciliae Dux, qui quadraginta millium animarum per modum equitum sibi occurrentia pro defensoribus habere meruit, expertus est, teste Joanne Majore in Spec. Exempl. tit. Defuncti exempl. xxv. *Conferantur* dabunt, dum varia bona temporalia impetrabunt, uti multi quotidie experiuntur, ita ut communis paulatim persuasio in valescat, unum ex efficacioribus mediis ad quidvis impetrandum esse, si certa in animarum subsidium opera ea intentione, ut illae optatam gratiam impetrant, offerantur. *Coagitata* porrigent, dum varias virtutes et celestes gratias, maxime vero ipsam beatitudinem impetrabunt; id quod tanto ardentius praestabunt, quanto magis utilia et expetenda praetemporalibus esse cognoscunt. *Supereffluentem* denique offerent, dum copiosum in altera vita gloriae incrementum impetrabunt, quae omnia tum pulchris exemplis confirmari; tum maxime per id, quod S. Gertrudi configisse, P. Casparus Tausch in Matre dolor. p. III. c. vii. testatur, illustrari possunt, cum enim haec omnem fructum suorum operum transcripsisset his ipsis animabus, ideoque timeret, ne propriae satisfactionis defectu graves in Purgatorio paeinas subire cogeretur, Christus eidem apparet sequentibus eam verbis solatus est: «Filia, ut videas, quantopere mihi placeat insignis tua in defunctos charitas, in compensationem tibi condono omnes paeinas,

quas in eodem Purgatorio sustinere deberes. Praeterea qui olim pro uno centuplum promisi, nunc manum dilatabo et gloria multo excellentiore te praemiabo. Efficiam denique, ut animae per te liberatae morientis assistant, et cum magno triumpho te in eorum redueant.» De qua materia videri potest P. Jacobus Montfordus in tr. de Misericordia animabus praestanda, ubi pulchre ostendit non solum nihil deperdere eos, qui dicto modo animabus misericordiam metiuntur, sed potius plurimum lucrari.

III. Ex occasione thematis: *Faciunt vos piscatores hominum*; ostendi potest, quomodo animas defunctorum ex lacu Purgatorii (ut Ecclesia illud in Missa defunctorum vocat) piscari debeamus; quem in finem narrari imprimis potest historiola illa de puero, qui, dum super sepulchro matris suae Orationem Dominicam et Psalm. *Miserere* recitabat, visus est ab Episcopo, hamo aureo, et linea argentea pulcherrima mulierem extrahere, uti fusiis in Spec. Exempl. dist. IX. ex. cxxlii. videre est. Itaque ostendatur, quibus instrumentis haec piscatio fieri debeat, nimirum 1º per *virgam* rectam et oblongam; per quam intentio bona intelligitur, per hanc enim perinde animabus nostra opera, ac piscibus esse, porriguntur, 2º Per triplicem *funiculum*, per quem esca demittitur, et charitatem triplicem recte significare dicitur, scilicet charitatem erga Deum, nos ipsos, et proximum, quae merito, non modice impellere nos possunt ad auxilium animabus praestandum. 3º Per *hamum* duplicem justitiae et misericordiae divinae; haec enim amba concurrere et juvare debent ad animas extrahendas, uti sat clare S. David Ps. cxxix. insinnavit dicens: «Si iniquitates (per justitiam tuam) observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Sed quia apud Dominum misericordia quoque et copiosa redemptio invenitur,» hinc hamus duplex efficitur, per quem efficaciter extrahantur, sicut impletur, quod S. David Ps. lxxxiv. dixit: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt.* 4º Per *escam* hamo appensam, quae varia esse solet; ut enim interdum vermiculus, sanguisuga, aut mortuae muscae; interdum globuli aromatici, parvi pisciculi, aut cerasa appendi solent; ita variis modis, nempe vel per Sacrificium Missae oblatum vel per orationem, jejunium, eleemosynam, vel per indulgentias applicatas, animae ex Purgatorio liberantur, uti fusiis in meo libello, *die beil-*

same Kurtzweil die Seelen zu fischen c. 1. et ii. videri potest. Ut autem hanc piscationem tanto avidius et diligentius exerceant, ostendi circa finem poterit, quam copiosos fructus pro hac et altera vita ex illa sperare possit. Certe cum Deus aliquando tribuente vite transactae seu rationem exiget, si modo ad lacum hunc frequenter secedant, et piscem, id est, animam extrahant, mox in ore ipsius staterem efficacis orationis deprehendent, per quem pro se copiose solutionem praestare poterunt, ut olim S. Petro in simili casu contigit, teste S. Mattheo c. xxvii.

IV. Ex occasione thematis: *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum?* ostendi potest partim, quam axum sit, ut animabus defunctorum in Purgatorio luentibus succurramus, partim quomodo id ipsum prestare debeamus. Et primum quidem potest probari per triplicem titulum, nempe quod sint 1º *Frates nostri* eodem Patre celesti progeniti, et eodem sanguine redempti, eandemque cum illis hereditatem expectantes; quis nescit autem, si carnalis frater in carcere trahatur quam sollicito pro ejus redemptione obtinenda fratres ejus reliqui laborent. 2º *Membra* quoque sinus ejusdem corporis teste S. Paulo, I. Cor. xii. dicente: *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*, et ideo sumus invicem membra, uti idem ad Rom. iv. ait; si ergo juxta ejusdem testimonium, *Si quid patitur unum membrum, cumpatiuntur cetera membra*; et experientia ostendit, dum membrum unum ab igne corripitur, mox manum succurrere, et ignem depellere, quidni multo magis, quando membrum longe praestantius igne multo acerbiori correptum advertimus, eundem celerissime depellere studeamus. 3º Denique, quod animae tales sint *templum et imago Dei* praestantissima, et omnibus mundi templis gratior; quis autem Laurentanum v. g. aut aliud famosum et miraculis clarum templum ardere videris, non statim accurreret, et omni modo liberare conaretur; quidni ergo multo magis pro spirituali templo, id est, animabus liberandis laboretur? Ut adeo merito S. Augustinus ser. xlv. ad FF. in eremo similia motiva pendere exclamarit: «Cedit asinus, et omnes cum sublevare festinant. Clamat porcus, et cum eo clamare ceteri non cessant. Sed clamat inter tormenta fidelis, et non est, qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas!» In eundem finem juvabit etiam sibi appli-

care, quod P. Jacobus Laynes secundus Soc. Jesu Generalis suis subditis commendabat, dum eosdem adhortans, ut quam frequentissime animarum purgantium meminissent, hanc addit rationem: Nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laboris, eo dumtaxat consilio, ut homines ad consequendam felicitatem juvet, consentaneum profecto est, ut eundem prosequentes charitatis Spiritum, etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opitulenter, non justa sit illis causa Societatis charitatem quasi imperfectam et maneam accusandi, et merito liceat conquiri, se medio in itinere, eoque in loco destitutos fuisse, ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre. Secundum autem caput, scilicet quomodo liberari debeant, ostendi potest ex modis variis, quibus aliquem in foveam lapsam extrahere solemus, scilicet vel 1º *Scalam* demittendo, qualis spiritualiter Missae Sacrificium, per quod Deus ad nos descendit, et nos ad Deum, dici potest. Vel 2º *funem* porrigendo, per quem Rosaria, aliaeque orationes intelligi queunt. Vel 3º ramos praecisos deiciendo, ut elephantis se mutuo liberare dicuntur; per quos ramos fructus honorum operum animabus applicati possunt intelligi. Manum porrigendo, per eleemosynam liberalem oblationem, quae quidem quatuor membra fusiis apud F. Fabrum c. vi. in die animarum, et Montfordum in tr. cit. c. xii. et seqq. et in meo libello *der heilsamen Kurtzweil* c. i. tractata videri queunt.

V. Ex occasione thematis: *Prudentes virgines aptate vestras lampades: ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* MATTH. xxv. dici potest, hanc parabolam idcirco a Christo propositam esse, ut mature nos ad mortem praeparemus, et de tali medio prospiciamus, quod ad beatitudinem *certius, citius et copiosius* obtinendam conducere queat; tale autem praeterea esse misericordiam, uti ipsemet in cit. cap. indicavit, dum in processu iudicii potissimum de misericordia exercita rationem se exacturum affirmavit. Elsi vero omnis misericordia ad praedictum finem obtinendum multum idonea sit, atque adeo oleo a virginibus prudentibus preparato comparari queat, specialiter tamen id de misericordia animabus Purgatorii exhibitia dici posse; nam 1º juvat ad beatitudinem *certius* obtinendam, uti sat clare Tobias Senior c. iv. Tob. indicavit dicens: «Quomodo poteris, ita esto misericors. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur

animam ire in tenebras. » Et confirmat idipsum S. Hieron. in epist. ad Nepot. dicens : « Non memini me legisse, mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit ; habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non audiri. » Unde S. Franciscus Xaverius, teste Tursellino, cum Petrus Velleius mercator Lusitanus eidem elemosynam petenti clavem dedisset, et quantum vellet, ex cista auferre mandasset, respondit, nunquam misericordiam illi defuturam, et revelatum iri diem extremum vite, ut se ad eundem bene preparare possit ; si ergo hoc corporalis elemosyna potest, quanto magis misericordia animabus defunctorum exhibita, quæ est multo præstantior, similem gratiam obtinebit ; certe de nobili quodam Nolano Elias a Teresia I. III. c. xiv. refert, ipsum, quia pro dictis animabus frequenter orare solitus erat, quondam de nocte excitatum, atque, ut cito conlisteret, monitum fuisse, quo facto repentina morte obiit. Quod vero 2º etiam ad *citius* obtinendam beatitudinem, atque adeo ad liberationem a Purgatorio conducat, ex eo colligitur, quod tales anime ereptæ ex una parte gravitatem peccatorum Purgatorii, et magnitudinem celestium gaudiorum clarissime cognoscant ; ex altera vero parte, sicut in omnibus aliis virtutibus, ita in gratitudine perfecte sint, atque adeo multo magis, quam dives Epulo olim fratribus suis, sollicitæ sint futura, ut liberator et benefactor earumdem aut omnino in Purgatorium non veniat, aut cito inde liberetur. Accedit, quod ipsemet Christus MATH. xxv. dixerit : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Annon ergo, si advertat, quempiam tot animas redemisse hoc beneficium sibi factum reputabit, atque adeo parum mensuram referens, etiam a Purgatorio liberabit ? Sic certe S. Gertrudi promisit, uti supra in secundo numero ostensum est. Quod autem 3º etiam *abundantius* beatitudo per hanc misericordiam obtineatur, ex ipsa præstantia hujus elemosynæ colligitur ; cum enim ea omnia fere septem opera corporalia misericordiam eminenter in se contineat (uti facile inductione demonstrari potest) et præterea a gravissimo malo liberet, et summum beneficium, scilicet accelerationem beatitudinis obtineat, annon merito singulare quoque eidem premium in celo respondebit ? Vide hæc omnia fusius a Montfordo, et in cit. lib. *der beilsamen Kurtzweil* probata.

VI. Ex occasione thematis : *Et cooperunt simul omnes excusare.* Luc. xiv. dici potest, valde laudabiliter quidem Concionatores agere, dum suos Auditores frequenter ad misericordiam animabus prestandam incitant ; sed exiguum sæpe fructum referre, eo quod plerique se excusent, et frivolas excusationes objiciant. Nam 1º aliqui se excusant, quod Deus in justitia sua exercenda non sit impediendus, cum nec magistratus in hac vita libenter habeat, si quis cursum justitiæ impediatur. Sed his responderi potest, Christum non tantum judicem, sed etiam Patrem esse animarum, atque adeo sub hoc saltem titulo optare, ut pro ipsis oretur ; alioqui enim non toties misericordiam commendasset, nec tanta beneficia contulisset iis, qui talem misericordiam exercuerunt. Unde dicit potius ad tales intercessores, quod David I. I. Reg. c. xxv. ad Abigail dixit : « Benedictus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, et benedicta tu, quæ prohibuisti hodie, ne irem ad sanguinem. » 2º Alii se excusant, et dicunt, quod ipsimet indigeant satisfactione, atque adeo pro se orare, et satisfacere debeant. Sed his respondetur, quod per talem misericordiam non impediatur satisfactionem propriam, sed promoveatur ; tum quia actus charitatis præstantior majorem quoque satisfactionem et penæ diminutionem meretur ; tum quia hoc ipso, quod misericordiam talem exerceant, merentur similem misericordiam ; ita ut facilius quis ob illam polliceri sibi liberationem a Purgatorio possit, quam si sibi talia opera reservasset. Adde, quod per talem misericordiam utpote valde præstantem virtutis actum, magnum gloriæ augmentum procuretur, atque adeo libenter quibuscumque tormentis emi debeat, uti fuisus in supra cit. libris ostenditur. 3º Alii se excusant, quod peccatores viventes in majori necessitate et periculo constituti sint, atque adeo magis etiam pro ipsis sit orandum. Sed his respondetur, quod his possit fructus impetratorum operum et orationum applicari. Deinde possint ea conditione anime liberari, ut pro talibus peccatoribus orent, quæ oratio efficacior est, quam si ipsimet pro iisdem orarent et præterea se peccatores malignos in hoc periculum conjiciant, atque adeo minus digni sint misericordia, quam anime. Unde cum hanc objectionem quondam Bertrandus Dominicanus faciens, peccatoribus magis succurreret, anima quædam ex Purgatorio apparens, miserabili suo aspectu facile per-

suasit, ut sententiam mutaret. 4º Denique alii objiciunt, quod ipsæmet anime liberari non cupiant, sed potius divinæ justitiæ satisfacere. Sed his respondendum, quod paratæ quidem sint ipsæ satisfacere, sed cum sciant ex una parte, quanto perfectius Deum in cælis laudare et amare possint, ex altera vero parte non ignorent, quod ipse Deus desideret, ut alii pro ipsis orent, satisfaciant, hoc ipso etiam desiderium ipsorum ad beatitudinem augeri, atque adeo eas suspirare cum Davide Ps. cxix. *Hæc mihi, quia incolatus meus prolongatus est* : Vide hæc fusius deducta in *der beilsamen Kurtzweil* c. v. Plures alii similes conceptus facile ex duodecim fontibus, qui infra assignabuntur cum argumentis ex iisdem deductis, formari poterunt.

Exemplar secundum.

Quomodo in sepultum exhortatio institui possit.

Thema.

Lazarus amicus noster dormit. JOAN. XI.

Scopus.

Ostendendum, quod mors justorum sit similis somno, atque adeo defuncto qui merito pie obiisse creditur, felix nox, id est, requies sit apprecanda.

EXORDIUM.

Recte Christus de Lazaro mortuo dixit : *Lazarus amicus noster dormit.* Jo. xi. Sed et alibi MATH. c. ix. *Non est mortua puella, sed dormit.* Nam magnam similitudinem cum somno mors justorum habet. Primo enim sicuti dormientes cessant a laboribus, ita et justi post mortem, ut clare testatus est Deus ipse Apoc. xiv. dum dixit : « Scribe : Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dixit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. » Unde et S. David Ps. iv. dixit : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* 2º Sicut dormientes ab omni cura liberi sunt, ita et justi post mortem ; ibi enim verificabitur, quod Deus LEVIT. xxvi. promisit : *Dabo pacem*

in finibus vestris. Dormietis, et non erit, qui exterreat. Ibi proprie implebitur, quod Salomon Prov. xi. dixit : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* 3º Sicut dormientes exterius quidem mortui apparent, interioris autem quoad cor vivunt, et vitales operationes eliciunt ; ita et justi, etsi quoad corpus vere mortui sint, quoad animam tamen vivunt in Deo, et perfectissimas operationes eliciunt ; quatenus in amore Dei et laude jugiter occupantur. Unde ipsi vel maxime cum Sponsa CANT. v. dicere queunt : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Illic sicuti dormientes scimus completa nocte surrecturos ; ita et justi sciunt, se ubi die illi tremendus universalis judicii illuxerit, etiam quoad corpus de somno mortis surrecturos uti S. Job. c. xix. testatus est, dum dixit : « Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum. » Recte ergo dixit Christus de Lazaro : *Lazarus, amicus noster dormit* ; nam dicere quasi voluit, quia Lazarus amicus noster, et meus præcipuus amicus est, ideo mors ejus non interitus, sed somnus est.

Quæ cum ita sint, merito et nos de mortuo nostro Philippo dicere possumus : *Philippus amicus noster dormit.* Quidni enim dormire cum, et suo tempore ad vitam æternam resurrecturum credamus, quem mortem tam beata in Domino obiisse novimus ? Si enim in Domino mori dicuntur, qui in gratia Dei moriuntur, annon in Domino mortuum Philippum nostrum dicamus, qui omnibus Sacramentis munus inter pia suspiria animam efflavit, et SS. nomina Jesus et Maria, per quorum devotam pronuntiationem indulgentias plenarias ex privilegio Congregationis S. Rosarii lucrari poterat, paulo ante mortem tenerimmo fiducia affectu pronuntiavit dicens : « O Jesu et Maria, estote mecum in via ? » Si in Domino mori dicuntur, qui vitam pie et sancte tradiderunt, juxta illud adagium : *Sicut vita, mors ita ;* annon in Domino mortuum Philippum nostrum credamus, qui officii divinis, quamdiu vixit, tam religiose interfuit, qui Sacramenta tam frequenter, ac devote frequentavit ; qui pacem cum proximo tam studio coluit ; qui omnia adversa de manu Dei tam patienter, grateque animo acceptavit ? Si in Domino mori dicuntur, qui in opere et obsequio Dei occupati moriuntur, annon iterum Philippum nostrum in Domino mortuum credamus ; qui inter

ipsum labores, quos propter Deum obire, et indefessa diligentia continuare solebat, deprehensus in mortem incidit! Si denique in Domino mori dicuntur, qui cum S. Paulo desiderium habuerunt, dissolvi, et esse cum Christo, annon merito Philippam nostrum in Domino mortuum dicemus, qui tantopere ad cœlum anhelalet, et illud S. Davidis suspirium cum tanto affectu pronuntiabat: « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini, cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Ps. lxxxiii. Et iterum: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, Ah! quando veniam et apparebo ante faciem Dei! » Sermo dormit Philippus noster, annon cum Discipulis Christi JOAN. xi. dicere possumus: *Si dormit, salus erit?* Annon saluberrimam S. Pauli doctrinam I. Thess. iv. nobis applicamus: « Nolo, fratres, vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Deus mortuus est, resurrexit, ita et Deus, qui dormierunt per Jesum, adduet cum eo. Itaque consolamini in verbis istis, » et sicut dormientibus felicem noctem et requiem precari soletis, et diligenter cavetis, ne strepitu aut loquela clariore eorum quietem turbetis, ita et Philippo nostro similem noctem optate, dicentes cum Ecclesia: *Requiescat in pace.* Caveat etiam sedulo, ne nimio luctu, aut ejulatu hanc ejus quietem turbetis, sed potius in silentio suum et somnum gratulemini, et si forte per dolores et penas Purgatorii non nihil turbata esset hæc quies illius, vestris precibus et auxiliis causas hujus turbationis removere studeatis, quousque tandem et vos precibus illius adjuti feliciter in Domino obdormiatis, et cum ipso requiem æternam possidere mereamini. Amen.

Similem in modum etiam alie exhortationes funebres institui possunt; quæ, quia in aliquibus locis ad quodvis etiam minimi mendici aut infantis funus haberi debent, et sæpe eo tempore, quo vel alie conciones faciende, vel alia gravia negotia peragenda sunt, adeoque grandem Neo-Parochi in iis instituendis difficultatem paliantur, ut non semel ipsimet mihi sunt fassi: ideo ut hanc quoque difficultatem aliquantum imminuam, placeat diversos conceptus ex duodecim supra enumeratis fontibus petitos hic apponere, ita tamen ut, quantum operosum nimis foret, et ipsi etiam lectoribus fastidiosum conceptus tales

fusius deducere, solum propemodum thema et argumentum indicasse contentus, reliqua ipsi exhortatori in formam redigenda commissurus sim: cui quidem, cum ejusmodi exhortationes vix ultra quadrantem horæ institui soleant, non erit difficile, ejusmodi conceptus dilatare, maxime si ex ipsa etiam defuncti vita, aliqua laudabiliter acta desumat et commendet.

FONS I.

Exhortationum pro defunctis ex vita defuncti.

Fons primus merito vita, et virtutes defuncti statuuntur. Ex his enim solis vera materia laudis desumitur. Unde licet in ejusmodi concionibus et exhortationibus funebribus etiam nature, vel fortunæ dotes commemorari possint, id tamen parcius convenit fieri, et ita, ut ostendatur bene illis usus fuisse defunctus; sic enim et ille in materiam laudis transibunt, Auditoribusque materiam imitationis offerent.

Porro ex hoc fonte varii modi exhortationes funebres instituendi profluunt; nam interdu solum in genere demonstrari potest, quantopere fuerit defunctus virtuti delitius; quandoque in specie ad varias virtutes descendendi, atque hoc iterum duplici modo fieri potest, ut scilicet vel aperte et simpliciter unam vel plures virtutes ab eo exercitasse fuisse probetur, vel certe sub schemate aliquis similitudinis ex ipsis virtutibus ejus petita, facta illustriora illius commemorentur, quorum omnium modorum materiam breviter hic exhibeo. 1º Ergo in genere de virtute loquendo ostendi potest ex occasione illius sententia S. Pauli I. Th. iv. *Pietas ad omnia utilis*, quomodo defuncto pietas sua, qua aliqui virtutem intelligunt, utilis fuerit ad benedictionem in temporalibus juxta illud MATTH. vi. *Querite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* 2º Quomodo ei utilis fuerit ad beatam mortem, a qua pendet tota æternitas juxta commune adagium: *Sicuti vita, mors ita. Et mors est echo vite.* 3º quomodo ei utilis fuerit ad magnam gloriam in celo comparandam. Quia veræ divitiæ eæ solæ sunt juxta D. Bernardum, quæ nos virtutibus divites faciunt; nam ille solum intelliguntur per thesaurum, de quo Christus MATTH. vi. dixit: « Thesaurizate vobis thesauros in cœlis,

ubi nec ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. »

II. Ex occasione thematis: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Ps. cxxxviii. Ostendatur primo quantus honor sit esse amicum Dei, ex comparatione honoris, qui amicis Regum in hac vita exhibetur, et ex illo dicto Davidis I. Reg. xviii. *Num parum videtur vobis esse generum Regis?* 2º Ostendatur, quomodo defunctus ad hunc honorem per solam suam virtutem venerit, nam juxta S. Bernardum in quodam serm. « *Virtus mater gloriæ est; sola enim est, cui gloriæ jure debetur, et secure impenditur.* » Id quod Romani duplici templo indicant, quorum alterum Virtuti, alterum Honori fuerat extractum, sed tali situ, ut nulli ad Honoris templum aditus pateret, nisi prius per Virtutis templum transisset.

III. Ex occasione illius thematis: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Aroc. xiv. ostendi potest, quod defunctus imitatus fuerit illum Regem, de quo S. Barlaam in parabola dixerat, quod, cum in regno quondam consuetudo fuisset, ut Rex non nisi per annum viveret, postea vero in exilium mitteretur, ille utpote cæteris sapientior, illo anno occulte suas divitias in locum, in quem mittendus fuerat post annum elapsam, premiserit, et sic beate vixerit. Dicatur itaque regnum tale hunc mundum esse, Regi vero illi defunctum similem esse. Excitentur Auditores ad idem faciendum.

IV. Ex occasione illius thematis: *Dulcis est somnus operanti.* ECCL. v. ostendatur 1º quomodo somnus et mors in multis similes sint, atque adeo recte inter se comparentur, uti in § III. supra videre est. 2º Quomodo somnus hic seu mors defuncto operanti, id est, recte et virtuose viventi valde dulcis fuerit, juxta illud Thom. Kemp. I. l. c. xxv. *Gaudebis semper vespere, si diem insomnis fructuose;* eo quod nunc auditorus sit illud Christi MATTH. xxv. *Intra in gaudium Domini tui, et JOAN. xvi. Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Excitentur proin Auditor ad congaudendum, juxta illud Rom. xii. *Gaudete cum gaudentibus, et I. Col. xii. « Sive gloriatur unum membrum, congaudent cætera membra. »*

V. Ex occasione illius thematis: *Negotiamini, dum venio.* LUC. xix. ostendi potest primo quam bene S. Gregorius Nazianz. et alii SS. PP. vitam hanc compararint mundini, quia nunc tempus est emendi necessaria

pro æterna vita; quia durant brevi tempore iisque finitis non amplius est occasio emendi; quia nemini offertur merx ulla, id est, gratia, sive jus ad gloriam alterius vite, nisi pro pretio honorum juxta illud S. Pauli, II. Cor. v. « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. » 2º Ostendatur, quam bene negotiatoris officio in his mundinis functus sit defunctus, quem diligenter rationem temporis habuerit juxta illud ECCLESII. xiv. « Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te pretereat, » et illud S. Pauli EPH. v. « Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus: » quam feliciter et non parce expendit pretium pro mercibus, id est, conditiones ad bonum et meritum opus requisitas (ut scilicet sit bonum, vel saltem indifferens, et in gratia, ac cum bona intentione fiat) observavit: quam bona intentione fiat) observavit: quam felicitate semper optimas merces, et apud optimum mercatorem Deum emerit; quam fuerit sollicitus in iisdem suis mercibus per viam securiorum, id est, per humilitatem ad patriam suam coelestem premittendis, quamque adeo caute inanem gloriam vel infestam prædatriam devitarit. Invitandi proin Auditores, ut in societatem negotiationis veniant, et industrias ab eo observatas et ipsi diligenter observare studeant.

VI. Ex occasione illius thematis: *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis et hominibus.* I. Cor. iii. ostendi potest, quam bene Actoris officio functus sit is, qui sepelitur, et 1º quidem quam bene contentus fuerit sua persona juxta illud ECCL. xi. « *Confide autem Deo, et mane in loco tuo; facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem.* » Et illud Epicteti c. xxiii. « Actorem esse fabulæ talis, qualis magistro probata fuerit, te memento. Si brevis, brevis: si longa, longa; si Medicum te agere voluerit, fac eam quoque personam ingeniose representes. Ita si claudum, si principem, si plebeum; hoc enim tuum est, datam personam bene attingere; eam autem eligere, alterius. » Quam diligenter inquisit quid ad suam personam requiratur, et quam studiose id impleverit, memor Doctrinæ sapientissimæ a Seneca datæ EPIC. xxiv. « Quomodo fabula, sic vita; non quamdiu, sed quam bene sit acta, refert; nil ad rem per-